



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Joannes Chuzubita Conf. 3. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

ipse nocens occubuit; & demum , qui tumulum Martyris impie calcavit, Divumque sine miraculis injuriosè compellavit , in ipso vestigio, moriendo mendacem se fassus est , & jam miracula patrare LEODEGARIVM si non aliis , certè sibi credit. Ex Surio.

Adfunt defensores nostri sancti Martyres ; rogari volunt, & querunt ut querantur. Hos adjutores nostros orationibus queramus ; hos protectores nostri reatus inveniamus; quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui judicat. S.Greg.hom.32.

S. JOANNES CHUZUBITA CONF.

3.Octobris.

Non aliud altius in hostem infernum vulnus descendit, quam quod à demissi animi dextrâ venit. Miserat ad JOANNEM CHUZUBITAM Anachoreten alter Anachoretes Ananias nescio quem à malo genio infessum. Hunc vix ita noster compellavit: (Eia cedere, impure, te hospitio non tuo, non ego sed Ananias jubet) cum verba hæc plena animi demissioris jam dudum exosus fugit ocyus hostis superbus. Et pepererat fama miraculi hujus JOANNI Pontificatum Cæsariensem. Ille tamen mox iterum urbem cum silvis suis mutavit, ingens onus infulam se abjecisse existimans. Secutus Divum rusticellus filium itidem ab orco agitatum in sportâ è tecto suspendit, & ecce arrogans iterum pulsus est inquilinus. Ergo igitur, ut ultum hic iret dolorem suum, JOANNEM præcipitem è monte egit. Sed qui caderet humili semper repens animus ? risit scilicet veteratorem altius longè olim cadentem. Porro sub ultimos vitæ annos, cum JOANNEM cupido cepisset, Martiani

viri

4.Octob. VITÆ SANCTORVM. 485
viri integerrimi visendi, nec tamen ob catenam,
quâ se ipse ad carcere suum beatum damnave-
rat, egredi antro posset; eodem tempore Martia-
nus ipse inter famulas Cælitum manus delatus ad-
fuit; quo abeunte, cùm animo suspicio præstigia-
rum suboriretur, altero miraculo ruptæ compedes
facultatem dedere specu prodeundi, iterumque
Martiano loquendi. Ad extremum carnis etiam
vincula exuit anno supra quingentesimum vigesimo
secundo. Ex Meneis.

*Antiquus hostis terrarum locis à tentatione non ex-
cluditur: quia si in Paradiſo hominem stravit, quis lo-
cus extra Paradiſum esse potest, in quo mentes hominum
penetrare non valeat? In ſola ergo Creatoris nostri pro-
tectione fidendum eſt. S.Greg.l.8.Regist.c.45.*

S.FRANCISCUS CONF. 4.Octobris.

Hic vir, hīc, FRANCISCVS eſt, sanctioris spes
altera Romæ, & qui unā cum altero Atlante
Dominico lapsurum orbem firmavit. Mercator
adhuc fœnus facere etiam apud pauperes scivit,
neque umquam pluris vendidit ſua, quām cūni
gratis dedit. Evocatus in ſomno ad arma cruce
inſignita, cùm novam militiæ tefſeram non agno-
ſceret, ab ipſo Crucifixo eſt edoctus. Ducem ita-
que nudum Christum ſecutus, primam pugnam
(uti ferè amat fieri in hoc ſacro bello) cum patre
habuit. Et vicit avaritiem paternam, cùm non
tantum omnibus bonis, ſed etiam vestibus ſe co-
tam Antiftite exuit, illis verbis hostem proſter-
nens: *Patrem hactenus te dixeram: nunc denique ni-
hil intercedit, quin verius dicam, Pater noster qui es in
celis. Quis credat? Sic nudus tum denique arma-
tum ſe probè credidit, & scriptis ſociis orbem ex-*

X 3

pugnavit,